

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Inhvmano Litterarvm Hvmaniorvm Cvltore Dispytat Et Simvl Patronos Atqve Favtores Ad Lvstrationem Scholae A.D. XXII. Mai. Constitvtam ...

Lochmann, Johann Melchior

Salfeldae, [1764?]

VD18 13457829

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194528



Duo fere sunt, quae homini erudito magnam existimationem prae hominibus a litteris alienis parere possint; quorum alterum in rerum multarum cognitione positum putamus, alterum in eo, ut officiis, cum pietatis in Deum tum humanitatis in caeteros quosque, rite fungatur. Qui igitur animi iuueniles in scholis iis imbuuntur artibus atque scientiis, quae eo deducunt, ut et multa utilia discant, et quid quemque deceat cognoscant, ii litteris humanioribus operam dare dicuntur. Neque enim sufficit, ut homo caeteras animantes ratione atque lingua superet atque vincat; sed, quemadmodum his recte uti debent omnes, sic inprimis qui litteris dediti sunt. Spectat huc primum grammatica, quae, si in ea significatione accipitur, qua veteres vsi sunt, non tantum in legendo, loquendo atque scribendo versatur; sed etiam insuper docet, qua ratione historici, poetae alique probatiores recte intelligi atque in usum conuerti debeant auctores. Quemadmodum vero qui ipsi aliquid inuenerunt, quod utile sit aut delectet, iis praestant, qui aliorum inuenta cognita habent atque iudicata: Sic et grammatica caeterarum, quae iam sequuntur, litterarum non principatum petere; sed id tantummodo sibi arrogare videtur, ne, quae alii intelligere debent, ea obscure tradat, aut quae scriptis tradita ab aliis accepit, minus recte interpretetur.

Cum grammatica quodammodo coniuncta est rhetorica; utraque vero magis ad acuendum ingenium, quam ad emendandos mores partes sibi impositas esse putat. Rhetorica

torica enim cum suis praeceptis non proxime quae nobis sint agenda tradit; sed quibus argumentis alios moueamus, ut in nostram qualiscunque ea sit, sententiam discedant. Et si vero multa inter populos a vero cultu diuino alienos in soluta oratione iam ante fuisse scripta videntur, quam poetae suis numerosè cadentibus manum admouerunt operibus: Tamen haec se sua aetate aequè ac posterorum temporibus prae illis quam maxime probarunt. Et quod iucundius in hominum animos influerent, hinc factum fuisse videtur, ut plures a suis, quam a rhetoricae illius incultae starent partibus. Sic Homeri, Hesiodi aliorumque opera adhuc ab eruditis et doctrina excultis hominibus manu diurna nocturnaue versantur, et eandem adhuc tuentur existimationem, quam olim inter auctorum obtinere populares. Cum vero Isocrates et paulo post alii viderent quanta suauitas in pedibus atque numeris inesset, poetas occultè imitati sunt, et syllabarum vocumque dimensiones aequè ac hi curae habuerunt. Hinc Cicero: Ut poetica, inquit, et versus inuentus est terminatione aurium, obseruatione prudentium: Sic in oratione animaduersum est, multo illud quidem serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionisque verborum. Quas hactenus recensuimus, litterae humaniores, si homo liberalis studium suum in iis rectè collocat, faciunt, ut ratio, quae Ciceroni lux quasi atque lumen vitae est, eo magis splendescat atque excolatur. Annumerantur quidem iis etiam musica, arithmetica, astronomia, et qui numeri septenarii religione ducuntur modo hanc modo aliam addunt scientiam. Sed maiori iure adiungendam putamus historiam atque philosophiam; quarum utraque animos ad virtutem formare videtur. Historia cum Iudaeorum tum caeterarum gentium, qui fructus virtutem sequantur, quae comitentur vitia calamitates, et exemplis et argumentis atque rationibus perspicue docet. Virgentur aliquamdiu Israelitae cum Mose; pereunt tandem cum suo rege Aegyptii. Moliuntur in solitudine illi occulte multa, et a Dei, regis sui, imperio deficiunt; paucis exceptis omnes ibi prostrati iacent. Posterius quidem regionem maioribus promissam

fam

sam occupant, sed dum denuo nouis rebus student, misere ab hostibus modo vexantur, modo illorum potestati subiiciuntur, immo tandem sedibus suis moti poenas luunt grauissimas, et adhuc seueritatis diuinae testimonia atque argumenta suppeditant. Idem dici potest de aliis populis idem de singulis, quorum memoria nobis prodita est, hominibus. Docent tamen exempla, virtutem quoque suam laborum habere mercedem, et, quamuis diu in occulto lateat, multis modis angatur, et perditis atque profligatis hominibus ludibrio sit, illustri demum loco collocari, recreari, magnisque augeri honoribus. Testes sunt iidem Israelitae, qui, quamdiu caste pureque coluerunt Deum, suum cuique tribuerunt, princeps populum suo exemplo iunxit, ad principis boni exemplum populus suos finxit atque composuit mores, omnes vitam beatam in summa animi securitate transegerunt, et apud finitimos in magno honore habiti sunt. Quid impedit, quin idem dicamus de Graecis atque Romanis, qui, quamuis a vero cultu diuino essent alieniores, tamen quousque duce ratione, vitia horrerent, virtutesque amplecterentur, et maleuolis iniecerunt metum, et suam auctoritatem apud amicos tuiti sunt. Quae omnia si meminerint historiae studiosi non tantum habere eam multum suauitatis, sed quod magis est, tantum vtilitatis adferre iudicabunt, vt merito sibi inter literas humaniores locum vindicare possit. Pauca adhuc de philosophia dicere liceat, quae summatim considerata non modo multum ad acuendum ingenium proficit, sed, inprimis quae de moribus praecipit, ea vitiosam atque corruptam hominis naturam emendare potest. Quia vero plagulae dicendi terminos constituunt, de solis physicis pauca adhuc dicere libet. Primum proxime homines ad proprietates Dei ex suis operibus cognoscendas deducunt. Deinde etiam, qua ratione rebus naturalibus uti, et exinde fructum atque vtilitatem consequi debeamus, tradunt atque praecipunt. Etsi vero contemplatio naturae et diurnae nocturnaeque vicissitudines aliaeque rerum naturalium commutationes iucundi quid habeant: Tamen litterarum humaniorum cultorem etiam monent, vt vitae suae breuitatem et migrationem illam ad Deum iudicem

respiciat, vbi aliquando omnium factorum ratio reddenda erit. Sed iam de inhumanitate, quae nihilo minus eos, qui humanitatem profitentur in invidiam adducit, pauca dicamus necesse est. Accusantur inhumanitatis, qui, quae officia homines sibi inuicem praestare debent, deserunt, ab urbanitate recedunt, et in moribus suis se modo agrestes modo crudeles aliis praebent. At, si interpretatur grammaticus veterum libros, qui fere ad vnum omnes, quid humanitas a quoque requirat, docuerunt; si spectat rhetor quae iucunda esse possint auribus; si appellat Cicero poeticam, vitae praeclaram emendatricem; historiam, memoriae vitam, vitae magistrum; philosophiam, bene factorum beneque doctorum matrem: Vnde ista, quam dicis, inhumanitas? Nostrum iam esse videtur, ut in fontes illos inquiramus, vnde eiusmodi impuritates fluant. Primum multi ad litteras incumbunt, non ut mores suos natura deprauatos emendent, sed ut iis, quae prae aliis didicisse sibi videntur, superbiant. Hinc arrogantia illa, qua caeteros quosque contemnunt, hinc caput supinum, hinc contractio frontis et supercilia alta, quibus omnibus coelum iis, veluti atlante illo, niti persuadere stultis conantur. Quemadmodum igitur, qui Christi praecepta nota habent atque intelligunt, tamen a pietate deflectere solent: Sic et humaniorum litterarum cultores nonnunquam omnem exuisse humanitatem videntur. Deinde, licet sine sua culpa, ipsa vitae ratio, quam ingrediuntur, qui ad litteras incumbunt, ad inhumanitatem et effrenatam licentiam inuitare potest. Qui enim quaestibus sordidis dediti sunt, veluti qui mercantur a negotiatoribus quod statim vendant, vel qui opificibus a pueris mancipati in lucro animum occupatum habent, ii vnumquemque comiter plandeque appellant. Contra, quia, qui artibus vacant liberalibus, maiori libertate vtuntur, et aliorum beneuolentia supersedere posse putant: Neque doctorum virorum consuetudo neque litterarum studia quidquam proficiunt, ut urbanitati studeant. Hinc multi, si remissio datur a rebus seriis, otio diffluunt, hinc ebrietas, hinc illiberales illae vociferationes certaminaque gladiatoria,

Postre-

Postremum etiam multi artium magistri, quibus non tantum docendi munus traditum, sed et in mores iuuenum inquirendi potestas data est, a culpa inhumanitatis, quam contrahunt litterarum studiosi, liberari non possunt. Quamvis enim non vbiuis, veterum paedagogorum more suos committentur, crebro tamen morum praecepta instillare, et si quid deliquerint in eos animaduertere possunt. Sed sunt nonnulli, qui non rei publicae salutem, quam optimus quisque promouere debet, sed gloriolam illam, ex magno discentium, quibus indulgent, numero, petendam respiciant. Cuius quidem peruersi consilii non veremur, ne et nos arguamur; multo magis speramus, fore, ut seueritatem nostram cum in eiiciendis discipulis, tum diligentiam in eorum animis ad humanitatem formandis laudent atque comprobent aequi rerum iudices. Quia etiam disciplinae nostrae alumni suam morum elegantiam cuius hactenus probare contendebant, Vos, Fautores atque Patroni, fretus humanitate Vestra, ut lustrationem scholae et declamandi sollemnia praesentia Vestra honestare velitis, humanissime rogo.

a. d. XXIII. Mai

Hora post meridiem secunda

Declamandi pericula facturi dicent.

IO. MICHAEL BERNHARD, Poesenec. *de Meteoris Vet. Test. diuinitus editis.*

GVILIELM. CHRISTIAN OETTEL, Poesenec. *de Meteoris Nov. Test. emphaticis.*

IO. FRIED. GVILIELM. STRASSER, Salfeld. *de diluvii vestigiis in scriptoribus barbaris et terra continenti.*

IO. ANDREAS LORENTZ, Ricobac. *de natura iustitiae diuinae ministra.*

IO. GEORG LIEBMAN, Limbac. *de natura suam fingendi artem celante.*

IO. MICHAEL HESSLER, Salfeld. *de sapientia Dei ex nexu rerum creaturarum elucente.*

Horum qui ultimo loco dicet, Hesslerus, simul cum suo, tum duorum priorum nomine gratiis actis, Vale huic scholae dicet; in magno beneficio positurus, si multi ad se audiendum venerint. Scr. a. d. xviii. Mai. a. C. MDCCLXIII.

Index Penforum.

Tractabuntur

a. d. XXII. Mai.

cantato hymno : O Ursprung des Lebens p. 559.

I. Theol. cum I. et II. Classe,

II. Ling. lat. cum II.

III. Ling. lat. cum I.

III. Ling. hebr. cum I. et II.

V. Ling. lat. cum III.

hymn. Ich will mit Danken kommen p. 721. v. 8.

Hora secunda post meridiem

hymn. O GOtt, du frommer GOtt p. 515.

I. Theol. cum Classe III.

II. Ling. graeca cum III.

III. Ling. graeca cum II.

III. Geogr. cum I. et II.

V. Ling. graeca cum I.

VI. Hist. ant. cum I.

hymn. O dasf ich tausend Zungen p. 734.





